

- conserva, quod in te est, filium, me ac familiam. 845
 5 *CH.* cedo quid vis faciam? *ME.* invenisti hodie filiam.
CH. quid tum? *ME.* hanc uxorem sibi dari volt Clinia.
CH. quaeso quid tū homini's? *ME.* quid ęst? *CH.* iamne
 oblitus es
 inter nos quid sit dictum de fallacia,
 ut ea via abs te argentum auferretur? *ME.* scio. 850
 10 *CH.* ea res nunc agitur ipsa. *ME.* quid narras, Chreme?
 erravi? actast res? quanta de spe decidi! 851^a
 immo haec quidem quae apud me est Clitiphonis est
 amica: ita aiunt. *CH.* et tu credis omnia.
 et illum aiunt velle uxorem ut, quom desponderis,
 15 des qui aurum ac vestem atque alia quae opu' sunt comparet. 855
ME. id est profecto: id amicae dabitur. *CH.* scilicet
 daturum. *ME.* [v]ah frustra sum igitur gavisus miser.
 quidvis tamen iam malo quam hunc amittere.
 quid nunc renuntiem abs te responsum, Chreme,
 20 ne sentiat me sensisse atque aegre ferat? 860
CH. aegre? nimium illi, Menedeme, indulges. *ME.* sine:
 inceptumst: perfice hoc mi perpetuo, Chreme.
CH. dic convenisse, egisse te de nuptiis.
ME. dicam. quid deinde? *CH.* me facturum esse omnia,
 25 generum placere; postremo etiam, si voles, 865
 desponsam quoque ęsse dicito. *ME.* ęm ęstuc volueram.
CH. tanto ocius te ut poscat et tu, id quod cupis,
 quam ocissime ut des. *ME.* cupio. *CH.* ne tu propediem,